


Schediasma Historico Philosophicum De Apollonio Tyanensi Philosopho Pythagorico Thavmatvrgo ...

Sectio Tertia :

Vitembergae: Literis Schroederianis, 1724

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1769573852>

Band (Druck) Freier  Zugang



Klose,
Schediasma - de Apol-
lonio Tyanensi.
1723.

b

308.



Eb
308



Q. D. B. V.

SCHEDIASMATIS
HISTORICO PHILOSOPHICI
DE
APOLLONIO TYANENSI
PHILOSOPHO PYTHAGORICO
THAVMATVRGO

SECTIO TERTIA

QVAM

D. MARTII M D CCXXIV.

PVBLICO EXAMINI SVBIIICIVNT

M. SIGISM. CHRISTIANVS KLOSE
DVRLACENSIS

ET

CHRISTIANVS ADAMVS BARTHEL
TREBSEN - MISN.

VITEMBERGAE
LITERIS SCHROEDERIANIS.

8237c



L. D. A. N.

SCHELIASMATIS

HISTORICO PHILOSOPHICI

DE

APOLLONIO TYANENSI

PHILOSOPHO PYTHAGORICO

THAVMATURGO

SECTIO TERTIA

QUAM

D. MARTINI M. D. CCXXIX

PABRIGO EXAMINI SUBIICIT

M. SIGISM. CHRISTIANVS KLOSE

DARLAGENSIS

ET

CHRISTIANVS ADAMVS BARTHEL

TREBSCHEN-MISSI

VITEMBERGAE

LITERIS SCHROEDERIANIS



Est Philostratum plures extitere, qui Apollonii Tyanensis uitam resque gestas literis consignandas sibi sumere, uel exemplo Philostrati, uel etiam autoritate famaue ipsius Apollonii, ad scribendum incitati. Pertinent huc, praeter alios, quorum cum scriptis ipsa etiam interiiit memoria, Nicomachus senior

A 2

et

Plures extitere. uid. supr. Sect. II. §. V. p. 9.

Nicomachus. Varios olim claruisse Nicomachos constat; catalogum eorum exhibet Ionsius de script. Hist. Phil. L. III. C. XIII. p. 75. sq. a quorum confusione quamuis nobis, ipso iudice, minime sit metuendum, nondum tamen inter eruditos conuenit, cuiusnam ex tot Nicomachis uita Apollonii, cuius Sidonius u. c. meminit, sit adscribenda. Ionsius l. c. autorem illius facit Nicomachum Gerasenum Pythagoricum, qui Arithmeticam Pythagoricam, aliaque, Philosophiam Pythagorae illustrantia, scripsisse dicitur. At uero nimis coactam esse hanc Ionsii coniecturam, neque temporum id permittere rationem, praeter Fabr. Bibl. Gr. L. IV. P. II, C. XXII. p. 2. ostendit Ioh. Laur. Moshemius Obs. Sacr. et Hist. Crit. C. VI. p. 335. sq. Huius namque Nicomachi Geraseni Arithmeticam latine transtulit Apuleius Madaurensis, celebris ille Philosophus Platonicus et Pythagoricus, qui sub M. Antonino medio Sec. II. floruit, Philostratus autem, defuncto demum Seuero Augusto, suam de Apollonio historiam consignauit, ex qua Nicomachum sua iterum exscripsisse Sidonius refert, ut adeo nix credibile uideatur, eundem Nicomachum, cuius Arithmeticam Apuleius Latinitate donauit, Apol-

A 2

lonii

lonii etiam uitam ex Philostrato conscribere potuisse, dimidia enim seculi pars inter Apuleii et Philostrati aetatem intercudit, Hisce de causis, et quod nulla inter scripta Nicomachi Geraseni apud ueteres Vitae Apollonii fiat mentio, alii, Sidonium intelligere, putant, Nicomachum illum Aureliano Imp. clarum, et cuius fit mentio ap. Vopiscum in Aurel. C. 27. tanquam interpretis Graeci Syriacae alicuius Epistolae, a Zenobia exeratae. uid. Moshem. et Ionsius II. c. c. Tertia denique sententia est Cl. Fabricii, qui Bibl. Gr. I. c. Nicomachum, uitae Apollonii scriptorem ap. Sidonium, eundem esse putat cum Virio Nicomacho Flauiano, Praefecto Praetorio Italiae, Historico disertissimo, Iuliani Imperat. temporibus claro, cuius apud Symmachum Epist. L. VI. crebrior fit mentio, et hac ratione causa etiam apparet, quare nec Hierocles, nec Eusebius, eius opus citent, quamuis forte aliis etiam de causis ipsis potuerit esse obscurus. Seniorena cum Nicomachum appellat Sidonius, ab alio ipsum distinguere facile apparet; quinam uero ille sit, ignoratur. Iam uero ipsum, quem de Apollonio consignasse dicitur Nicomachus senior, librum quod concernit, cum ille hodie in bibliothecis non amplius inueniatur, uariae quoque de illo eruditorum sunt sententiae. Sunt enim qui existimant, Nicomachum, et qui hunc exscripsit, Victorianum non fuisse scriptores, qui post Philostratum de Apollonio scripserint, sed clarissimos sui temporis criticos, qui castigandis et corrigendis, quae ab antiquariis mendose scripta erant, libris incubuerint, quique adeo Philostratum tantum emendarint: Sidoniumque Leoni huiusmodi exemplar Philostrati, quod ad exemplar correctionis a Tascio factae exaratum fuerit, misisse. uid. Fabr. I. c. Verum enim uero, hanc interpretationem uerba Sidonii uix admittunt, dum enim in illis dicitur, quod Nicomachus sua ex Philostrato *exscripserit*, non tam correctionem mendorum, incuria scribarum irreptorum, quam noui potius operis compilationem autor innuere uidetur, sensusque Sidonii forte hic est, Nicomachum in scribenda uita Apollonii Philostrati narrationem fideliter fuisse secutum, ita tamen, ut multa superflue dicta, et ad historiam uiri non pertinentia, a Philo-

Tascius Victorianus, hos enim Apollonii uitam scripsisse, Sidonius Apollinaris testis est, Epist. Libr. VIII. Ep. 3. ad Leonem, Regis Gothorum Consiliarium, ita scribens: *Apollonii Pythagorici uitam, non ut Nicomachus senior & Philostrati, sed ut Tascius Victorianus e Nicomachi schedio exscripsit, quia infferas, nisi*; de neutro tamen scripto hodie quicquam amplius superest.

§. II.

Superstitione interim atque idololatria gentilium, ob insignia, quae religio Christiana indies capiebat, augmenta, ad interitum suum uergente, infernalis genius, quo labenti suae consuleret causae, sui que regni ruina imminentem auerteret, omnem mouebat lapidem. Crebriores ideo easque atrocissimas per sua instrumenta excitabat persecutiones, in quibus intra paucos saepe dies tot hominum myriades ob nominis Christi confessionem sunt trucidatae, ut uix unus relictus uideatur Christianus; testantur id rerum Ecclesiasticarum III. priorum seculorum scriptores satis superque: nunquam tamen maiori crudelitate in Christianos saeuitum est, quam, uergente seculo tertio,

A 3

pufil-

Philostrato inserta, omiserit; cum uero nihilominus multa fabulosa minusque accurate dicta retinuerit, Tascium corrigendo, aut supplendo, ea tantum retulisse, quibus praeclaram uiri indolem, dotesque, quibus partim naturae beneficio, partim studiorum cultura, animum imbuerat, repraesentarit, et quibus simillimum cum Leoni citra inuidiam statuere potuerit Sidonius. uid. Olear. praef. p. 35.

Tascius Victorianus. De Tascii libro quid coniciendum, modo dictum; personam uero aetatemque uiri quod concernit, ea prorsus nos latent, nulla enim eius apud ueteres fit mentio, hinc etiam inter scriptores incognitae aetatis a Ionso fuit relatus l. c. L. IV. §. 47. p. m. 271.

pusillum namque tantum sibi relictum esse temporis sentiebat satanas. Ne autem caedibus tantum ac suppliciis Christianam opprimere uideantur religionem gentiles, uariis etiam rationibus ac argumentis illius oppugnabant ueritatem et praestantiam, quorum ni cedere uelint Christiani ponderibus, ipsos, tanquam pertinaces, impios, deorumque aitorum contemptores, iure meritoque e medio sustulisse, alijs persuadeant. Haud ultimum uero causae suae firmamentum in eo quaerebant, si miraculorum a Christo seruatore editorum gloriam quauis ratione imminuere, illisque paria a suae professionis hominibus patrata opponere possent. Probe enim perspectum habebant callidi isti homines, quantum momenti afferant in multorum animis, non modo ad Christianam religionem amplectendam, sed etiam illam constanter, spretis omnibus atrocissimis tormentis, profitendam, miracula, quae de Christo praedicantur: horum igitur ueritatem cum negare non audebant, neque etiam ob praestantiam ad causas naturales referre poterant, nullum aliud elabendi remedium sibi relictum credebant, quam quod, productis in medium ab alijs patratris stupendis ac miraculosis effectibus, tantum gloriae Christi detraherent, quantum illis accreuisse putarent. Suum ergo ut exequerentur consilium, neminem magis idoneum iudicabant, quam Apollonium Tyanensem, uirum ob morum integritatem, miraculorumque, quae patrasse dicebatur, famam, apud omnes laudatissimum. Nouum autem, idque duplex, famae uiri accedebat uergente Sec. III. augmentum; alterum excitabat rumor de apparitione, Aureliano Aug. facta, alterum de machinis quibusdam, quas Apollonium confecisse dictitabant, et quibus singularem quandam mala auertendi uim inesse statuebant. Auide haec arripiebant illi,

illi, quorum e re erat, gloriam miraculorum Christi quouis modo suppressere; hinc namque occasionem sibi datam credebant, Apollonium ob miraculorum famam cum Christo conferendi, imo illum huic multis nominibus anteferendi.

§. III.

Primus et praecipuus perniciosi huius pariter ac calidissimi consilii artifex fuisse uidetur Hierocles, ante hunc enim, quenquam Apollonium Christo conferre, publicis saltem literis, ausum fuisse, non legimus. Hierocles autem, iuratus Christianorum hostis ac persecutor, ne suppliciis solum contra Christianos disputare uideretur, rationibus simul leuitatis et erroris ipsos conuincere uolebat, quibus conuicti ad pristinos reuertantur Deos, neque, Caesaris uoluntati pertinaciter repugnantes, ui e medio auferantur. Duos igitur conscripsit libros, quos, quo humanum suum ac beneuolum in Christianos prodat animum, non modo egregio Philalethes nomine inscripsit, sed et, ne inimice ipsos

sectari

Hierocles. Vixit Hierocles sub finem Sec. III. et Diocletiano Augusto imprimis claruit, huius enim sub imperio Praeses primum iudicii in Christianos constituti in Bythinia erat, mox uero in praemium suae erga Christianos crudelitatis Praefectus Alexandriae factus, atrocissimus nominis Christiani hostis, et princeps dirissimae illius sub Diocletiano persecutionis auctor. Philosophus simul an fuerit, non liquet: certe a nullo ueterum Philosophus nominatur. Ceterum, sine dubio homonymia deceptus, Ionsius Hieroclem Philalethes autorem eundem facit cum Hierocle Philosopho Pythagorico, celebri illo Commentarii in aurea Pythagorae Carmina autore, uixit enim hic Sec. V. sub Theodosio Iuniore, nostroque Hierocle integro seculo et amplius est iunior, uid. Ionsius l. c. XVIII. add. Olearii Praefatio, Eusebii Libro contra Hieroclem praemissa, qui extat in edit. Opp. Philostr. p. 1. sq.

sectari eo magis uideretur, non aduersus, sed ad illos direxit: in altero Scripturae auctoritatem uacillasse, ex Lactantio Inst. Diu. L. V. C. II. discimus, ac si nempe autores illius sibi ipsis non constarent, et innumeras committerent contradictiones. In altero uero comparisonem Apollonii cum Christo instituit, ex qua euincere conatur, quanto melius et prudentius gentiles suum Apollonium ob miracula possint laudare, quem tamen amicum tantum Deorum, non Deum ipsum, uti Christiani Christum, statuunt. De priori libro nil amplius hodie superest, alterius uero, qui de Apollonio agit, quaedam nobis exhibet fragmenta Eusebius in illo, quem ex instituto ad refellendam hanc impietatem Hieroclis conscripsit libro, ex quibus, tanquam ex ungue leonem, fatis cognoscere licet.

§ IV.

Institutum autem hoc Hieroclis, quamuis fuerit stolidissimum, non omni tamen prorsus caruisse successu uidetur, auctoritate potius uiri, argumentorumque furo, multi, quibus, ob defectum acrioris iudicii, uera a falsis discernere datum non erat, decepti, aut ad gentilismum relapsi, aut saltem in mente sua, de miraculis Apollonio tributis quid iudicent, incerti, de miraculorum Christi praesentia dubitare coeperunt. Ut igitur fraus iniquitatis detegeretur, infirmorumque fides uacillans firmaretur, plures sine dubio Ecclesiae Doctores illius temporis gloriam Seruatoris nostri contra gentilium, imprimis Hieroclis impietatem et dictis et scriptis mascule defenderunt, fratrumque suorum fidei succurrerunt: de quorum tamen monumentis, uti cum plurimorum illius aetatis scriptis accidit, ad nos nil peruenit, praeter ea, quae apud Lactantium et Eusebium inueniuntur. Et Lactantium quidem quod attinet, calamum is strinxit contra Hieroclem in Institut.

mut. Diu. L. V. C. II. et III. quamuis enim expresse non designet nomine, quem in l. c. intendat, omnia tamen docent, illum iudicem, faciendae persecutionis autorem, qui scriptis ostendere uoluit, Apollonium Christo uel paria, uel etiam maiora fecisse miracula, nullum alium esse, quam nostrum Hieroclem, Philalethes autorem, hunc namque fuisse titulum librorum, Cap. III. expresse dicit. Ceterum Lactantius, Hieroclem refutans, non descendit ad specialia, singulas obiectiones illius resoluendo, sed generalia tantum constituit fundamenta, quibus omnibus aduersariorum argumentis, contra ueritatem Euangelii hactenus formati, et impofterum formandi, obuiam iri possit: quae quidem omnia non spernenda, Eusebianis tamen, quae Hierocli opposuit, et ingenio et uirtute longe inferiora iudicantur a Moshemio l. c. p. 355. add. Baile Diction. Hist. et Crit. art. Lactantius.

§. V.

Eusebius peculiarem contra Hieroclem conscripsit librum, qui hodiernum inter eius conspicitur opera. Dire-
B
xit

Eusebius. Eusebium hunc nullum alium esse, quam Eusebium Pamphili, Caesareensem Episcopum, tempore Constantini M. clarum, constans hactenus fuit eruditorum sententia, et ipsa etiam libri contra Hieroclem inscriptio docet. Ionsius uero, dum Hieroclem ad V. sec. scriptores referat, non potest non etiam autorem refutationis Hieroclis alium statuere ab Eusebio Pamphili, cuius tamen sententia ex hactenus dictis facile potest dilui. add. Olearius loc. super cit. Varias huius libri Eusebiani editiones et uersiones recenset Fabr. B. Gr. L. V. Cap. IV. §. 6. pag. 91. nouissime apparet inter Opera Philostratorum a B. Oleario edit. cum uersione latina et notis plerumque criticis B. editoris, ipsi uero libro praemissa sunt ueterum et recentiorum scriptorum de Hierocle, Philalethes Autore, testimonia.

xit illum ad amicum quendam, qui, uti ex allecutione ad ipsum facta apparet, Hieroclis fraude deceptus, ipsius ineptiis plus iusto tribuere coepit, huius ergo fidem, conscripta hac contra Hieroclem *συγγεγραμμεναι*, dum corroborare uult Eusebius, examinaturum se promittit Philalethae comparationem cum Christo, ut appareat, utrum ipsius contra Christianos iudicium adeo sit uerum, et, ut ipsi uidetur, undiquaque absolutum. In ipsa autem tractatione ea, quae Hierocles protulit, uix attingit, sed Philostrati potius de Apollonio libros percurrit. Neque male id ab ipso factum. Omnis enim Hieroclis comparatio solius Philostrati innitebatur narrationi; Huius ergo falsitates et mendacia si detexerit, Hieroclis argumenta, ex illa deprompta, sua sponte concident. Interim, quamuis Eusebius Philostrato ob mendacia, et Hierocli ob malitiosam ex illis institutam comparationem Apollonii cum Christo, merito succenseat, de ipso tamen Apollonio satis honorifica passim fert iudicia; sapientiae namque humanae egregie callentem ipsum fuisse, lubens fatetur, quemque cum quouis Philosopho componi posse facile concedit, quippe cui magiae labes aliunde, a parum scilicet prudentibus encomiastis ineptisque laudatoribus, aspersa fuerit uid. c. v. et XLVIII. In calce tandem libri Eusebius, non Hieroclis de fato libros, uti falso asserit Ionsius l. c., refutat, sed potius contra discursus Apollonii, hac de materia formatos, quosque Philostr. L. VII. C. 9. et L. VIII. Sect. XVII. adducit, disputat. §. VI.

Eodem, quo Hierocles Alexandriae praefuit, tempore, apud Oasitas Lybios, Alexandriae uicinos, uixit Soterichus, Poeta Heroicus, qui, sine dubio quaestus aut commodi ab Hierocle obtinendi causa, uitam Apollonii Tyanensis scripsisse dicitur. Interiit uero hic labor Soterichi, una cum reliquis eius operibus, quae recenset Suidas uoc. *Σωτηρίχου*, p. m. 784. §. VII.

§. VII.

Ad eandem cum Sotericho aetatem referendus quoque est Flavius Vopiscus Syracusanus, Historicus Latinus, unus ex Historiae Augustae scriptoribus. Hic, cum in Vita Aureliani memorabilem quandam apparitionem Apollonii, Aureliano, uti fama erat, factam, retulisset, non modo singularia et inuidenda prorsus in uirum elogia effundit, sed et uitam eius se editurum promittit; quamuis, quod promissis steterit, nusquam legamus. uid. Aurel. c. 14.

§. VIII.

Deleto deinceps magis magisque per Imperatores Christianos cultu idololatræ gentilium, nimis quoque ille, quo Apollonius noster a multis suspiciebatur, cultus cecidit, nec ullus illum cum Saluatore nostro amplius conferre ausus est; interim tamen ab ipsis etiam præcipuis Ecclesiæ Doctoribus iusta semper uiro tributa laus fuit. Hieronymus, qui uixit Sec. IV. in Ep. ad Paulinum ipsum ob sapientiæ studium magni aestimat. uid. Stolle in der Hist. der Gel. L.

B 2


III.

apparitionem Apollonii. Summa rei ex Vopisco hæc est: Obsidione cinxerat Aurelianus Tyanam rebellem, totamque se funditus ita deleturum iurauerat, ut ne canis quidem uiuus relinquatur; occupata uero urbe, ut ciuibus parcant, militibus præcepit, canes uero omnes occidant, permisit. Mirabantur omnes consilium Caesaris, alias sanguinolenti, muratum. Ipse uero, siue crudelitate rei deterritus, siue aliis de causis consilium mutauerit, quo suorum animos sedaret, iussu Apollonii Tyanensis, qui ipsi in tentorio apparuerit, urbe pepercisse præcepit. Et fieri omnino potuit, quod uel per somnium, uel imaginationis exorbitantiam Caesari, multa de excidio urbis cogitanti, tale quid obuenerit, quod deinde reuera ita factum esse sibi persuasit, forte etiam omnia de industria ita finxit imperator: nouerat enim quantæ Apollonius apud omnes sit autoritatis.


elogia. Vocat enim Apollonium l. c. celeberrimæ famæ autoritatisque sapientem, ueterem Philosophum, amicum uerum Deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum. Et paucis interiecis ita pergit: quid enim illo uiro sanctius, uenerabilius, antiquius, diuiniusque inter homines fuit? ille mortuis reddidit uitam; ille multa ultra homines et fecit, et dixit. Ipse autem, si uita supperat, et ipsius uiri fauori usque quaque placuerit, breuiter saltem tanti Viri facta in literas mittam, non quod illius uiri gesta munere mei sermonis indigeant, sed ut ea, quæ miranda sunt, omnium uoce prædicentur. Ex quibus uerbis, quantum aestimatus fuerit Apollonius a multis, apparet.

III. C. IV. §. 44. Ita etiam Sec. V. Doctor Isidorus Pelusiata magiae suspicionem, a multis adhuc creditam, ab Apollonio abstergit in Ep. ad Zach. Lib. I. Epist. Imprimis autem notandus est Sidonius Apollinaris, Auernorum Episcopus, uir inter Christianos sui temporis doctissimus, quem uitam Apollonii, uti Tascius Victorianus descripsit, ad Leonem, Gothorum Regis consiliarium, misisse, supra §. XII. uidimus, et qui simul etiam in cit. epist. uirum Leoni mire commendat ob sapientiam morumque integritatem. Ceterum sine dubio errat Caue Hist. Lit. Script. Eccl. P. I. p. 259. quando putat, Sidonium ipsummet uitam Apollonii scripsisse, cum tamen ipsam tantum e graeco latine uertisse, ex Epist. ad Leonem cit. apparet, quippe in qua suum opus translationem uocat. uid. Ionisius L. III. C. XIX. §. 2. add. Mosh. l. c. p. 375.

§. IX. Irruente sequentibus temporibus barbarie, cum omnis bonarum artium, et historiae quoque, Literariae imprimis ac Philosophicae, cultura sepulta iaceret, Apollonii quoque raro apud scriptores facta fuit mentio, nec quosquam extitisse inuenio, qui de ipsius factis examinandis fuerint solliciti. Recentiori uero aeuo plures extitere, qui de uiro scripserunt, inter quos tamen alii famam ipsius deprimunt, alii erigunt ipsumque defendunt, pro diuerso, quem erga ipsum habent, affectu. Pertinent huc Auctor Gallicus, qui scripsit Histoire d' Apollone de Tyané conuaincue de fauseté, nec non doctissimus Nanus Tillemontius dans l' Hist. des Emper. uitam Apollonii descripsit, quam deinceps Anglice uertit Ienckinus. Lond. 1702. §. uid. Dielluschy. Nachr. An. 1704. De Naudei Apologia pro Apollonio iam supra §. XI. dictum. Reliquos huc pertinentes allegat Olearius in praefatione, quam Philostrati Vitae Apollonii praemisit, quibus adhuc add. M. I. Christ. Herzogii Diss. de Philosophia Practica Apollonii Tyanei Lips. 1709. (uid. Stollii Hist. Lit. l. c.) habita, et ex recentissimis, quem iam aliquoties citauimus, Cl. Ioh. Laurentius Moshemius, qui Observationibus suis Theol. Hist. Criticis duas inseruit Observationes, quarum altera agit de fama et existimatione Apollonii Tyanensis, altera uero de eiusdem libris. Peculiarem quoque idem conscripsit Disp. de Figuris Telesticis Apollonii Tyanensis, quae Tom. III. Bibl. Bremens. inserta est; conf. Acta Erud. Lips. 1704. p. 634.



33
LBMV Schwerin
000 314 420






Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1769573852/phys_0016

DFG



the scale towards document

DE APOLLONIO TYANENSI.

II

§. VII.

cum Sotericho aetatem referendus quoque est Syracusanus, Historicus Latinus, unus ex Historicis. Hic, cum in Vita Aureliani meam apparitionem Apollonii, Aureliano, uti fauliffit, non modo singularia et inuidenda prorsus fundit, sed et uitam eius se editurum promittit; nullis steterit, nusquam legamus. uid. Aurel. c. 14.

§. VIII.

eps magis magisque per Imperatores Christianos gentilium, nimius quoque ille, quo Apollonius uociebatur, cultus cecidit, nec ullus illum cum Salu- lius conferre ausus est; interim tamen ab ipsis et- lesiae Doctoribus iusta semper uiro tributa laus qui uixit Sec. IV. in Ep. ad Paulinum ipsum ob sa- gnagni aestimat. uid. Stolle in der Hist. der Gel. L.

B 2

III.

Summa rei ex Vopisco haec est: Obsidione cinxerat Au- m rebellem, totamque se funditus ira deleturum e canis quidem uiuus relinquatur; occupata uero urbe, ant, militibus praecepit, canes uero omnes occidant, bantur omnes consilium Caesaris, alias sanguinolenti, e uero, siue crudelitate rei deterritus, siue aliis de cau- utauerit, quo suorum animos sedaret, iussu Apollo- qui ipsi in tentorio apparuerit, urbe pepercisse prae- omnino potuit, quod uel per somnium, uel imagina- tiam Caesari, multa de excidio urbis cogitanti, tale quod deinde reuera ita factum esse sibi persuasit, for- de industria ita finxit imperator: nouerat enim quantae d omnes sit autoritatis.

Apollonium l. c. celeberrimae famae autoritatisque sa- m Philosophum, amicum uerum Deorum, ipsum e- frequentandum. Et paucis interiectis ita pergit: quid anctius, uenerabilius, antiquius, diuiniusque inter mortuis reddidit uitam; ille multa ultra homines et Ipse autem, si uita suppetat, et ipsius uiri fauori us- uerit, breuiter saltem tanti Viri facta in literas mitam, uiri gesta munere mei sermonis indigeant, sed ut ea, ut, omnium uoce praedicentur. Ex quibus uerbis, quan- s fuerit Apollonius a multis, apparet.